

3

IOAN. IVCVNDVS  
VERONENSIS IVLIANO  
Medico, S. D.



I diligentius quis consideret, Juliane illustrissime, quod is, qui corrupta antiquorum scripta, ut emendata in manus hominum exeant, curat, labores exhauriat: quam verò nullius, vel per exiguae admodum apud plurimos laudis particeps fiat, admiretur profecto, cur sibi quisquam id oneris assumat: quo in perferendo, cum maximè enitendum sit, minimam tamen mercedem consequatur. Quod enim in alieno elaboret, neque suum aliquid ipse edat, id apud multos ejusmodi est, ut omnem, quem pro laboribus mereretur laudis fructum, intercipiat. Qui mihi quidem, si qui sunt, iniqui esse videntur rerum aestimatores. Nihil enim magis aequum eos sentire existimo, quam si quis ei, qui derelictum cuiuspiam, ac sentibus occupatum agrum suo labore expurgarit, colueritque, nullam tamè inde enatarum frugum partem deberi arbitretur. elaborat certè is in alieno solo, laborum tamen est quoddam jure premium constitutum. Ac mihi quidem longè videtur secus, atque eum, qui munus hoc rectè exequatur, seu rei ipsius difficultatem spectes, seu quam inde literarum studiosi utilitatem consequantur, consideres. in primis laudandum censeo, atque

A 2 (148)